

reperio ita in specie nec clarè hunc articulum in jure decisum: Sed teneo, quòd ista practica & conclusio sit optima & vera: quam de jure intendendo fundare sic: Primò per textum singularem in jure in leg. *Liberis*. §. *Si quis ex servitute*. ff. de *Liberal. caus.* ubi disponitur, quòd quando lis vel quæstio vertitur inter dominum & servum, quia servus proclamat in libertatem, dominus verò dicit eum servum, & dubitatur quis eorum debeat probare intentionem suam in proprietate, judex summarie & sine libello potest & debet cognoscere quis eorum fuerit in possessione; quia si servus fuerit in quasi possessione libertatis, dominus debet agere & probare servitutem ejus; si verò dominus fuerit in possessione servitutis, servus ipse debet agere & probare se liberum: & illum textum, in suo proprio casu notat & commendat ibi Bartol. Alber. & Rainer. & illa decisio text. habet locum in qualibet alia causa: nam si duo vel plures asserunt se dominos alicujus rei, & uterque dicat se possidere, & nolit assumere onus probandi, judex cognoscit summam de possessione, & possessorem defendet in sua possessione, & jubebit alterum agere & probare de proprietate, prout est de mente omnium Doctorum ibi: Et si dicas, quòd illa decisio sic intellecta nullam utilitatem vel novitatem adducit, cum de hoc sint plura jura idem dicentia, ut est casus expressus, in leg. *Ordinarii*, Cod. de *Rei vendition.* text. in leg. *Incerti juris*, Cod. de *Interdict.* text. in leg. 3. Cod. *Finium regund.* text. in leg. *Exitus*. ff. de *Acquirend. posses.* text. in leg. *Inter litigantes*. ff. de *Judic. text.* in §. *Retinenda*, *Institut. de Interdict.* *Respondeo*, quòd text. in *dict. leg. Liberis*. §. *Si quis ex servitute*. ff. de *Liberal. caus.* hoc singulare adducit de novo, quòd quando quis simpliciter conqueritur judici de sua possessione turbata, & petit simpliciter & summarie in ea defendi, adversarius petit idem; vel quando judex ex officio, visa discordia, vult cognoscere quis sit in actuali possessione, quia nullus eorum vult esse actor; tunc judex in utroque casu potest breviter & summarie, & sine libello de possessione cognoscere, & interim possessorem tueri & defendere in possessione, & prohibere alterum, ne ad rem vel fundum accedat; & attende benè, quòd hoc casu nullum præjudicium fit alteri parti in proprietate nec in possessione, cum non sit definitiva sententia in aliquo lata; unde altera pars, vel quælibet earum poterit plenarie, & juridicè agere vel petitorio

proprietatis, vel possessorio remedio *Uti possidetis*, libellum offerendo, & judicio plenario procedendo, & sententia definitiva ferri quæ plenum præjudicium afferat in prædicta possessione: & ita debet intelligi text. in *dict. §. Si quis ex servitute*. Alia verò jura superius allegata loquuntur & procedunt, quando uterque vel aliquis eorum agit judicio plenario possessorio *Uti possidetis*, & interim durante lite nulla est controversia inter partes: Et ista practica & doctrina potest habere locum & verificari, modo lis sit orta super remedio possessorio plenario *Uti possidetis*, modò adhuc non sit orta: quia quolibet casu poterit judex ad petitionem partis vel ex officio cognoscere breviter & summarie de possessione, & illum in ea defendere interim, hoc est durante lite mota vel movenda: & ista est intentatio practica hujus regni sic fundata in *dict. §. Si quis ex servitute*, & licet certe ille textus hoc non probet, nec ejus intentio fuit casum particularem disponere, sed tantum concordare cum aliis juribus supra allegatis; tamen in expresso per illum textum ita reperio quod tenet Speculat. Magister practica in *titul. de Libellorum conception.* §. *Nunc dicendum est*, 4. column. versic. 22. & ibi notabiliter Joan. Andr. in *Addit. idem tenet Specul. in titul. de Petitorio & possessorio*, §. 1. *fin. column. versic. In summa*, & videtur esse de mente Innocent. in *cap. Presentia*, de *Probat.* 1. column. in *med. n. 2.* & ejusdem Innocent. in *cap. Cum venissent*, de *Instit.* 1. column. n. 1. versic. *Vel dic quod amba partes*, idem etiam reperio quòd tenet Bald. singulariter loquitur, licet non alleget Specul. in *leg. Ordinarii*, Cod. de *Rei vendend.* 4. column. versic. *Sed hic quero, duo asserunt, &c.* & reputat esse multum notabile: Idem tenet ibi Paul. de *Cast.* 1. column. num. 2. dicens, quòd istum casum pluries habuit de facto: & ista est intentio Bald. quem omnino vide in *leg. fin. Cod. de Edict. divi Adrian.* toll. 2. column. 4. versicul. *Et est notandum*, tenet etiam Bald. in *leg. Quisquis*, Cod. *Quorum appellat. non recip.* & magis in expresso quam alius reperio, quòd istam doctrinam & practicam ponit Franc. de *Aretin.* in *cap. In presentia*, de *Probat.* 5. col. in *fin. num. 34.* ubi dicit, quòd si judex cognovit de possessione incidenter & simpliciter quoad effectum, ut pars quæ possidet utatur & fruatur possessione, & altera pars non accedat ad fundum, nec eam molestet; tunc ista declaratio & præceptum judicis non facit ple-

num
 proprietatis causa ad regios conventus remittitur, ex leg. 10. titul. 7. lib. 5. *Recop.* quam ultra Matienz. ibi, late explicat Molin. lib. 3. de *Primog.* cap. 13. per totum.

num præjudicium in possessione, quia fuit judicium summarium intentatum ad alium finem, argumento text. in *leg. penult. ff. de His qui sunt sui vel alien. jur.* ubi sententia lata in causa summaria alimentorum non præjudicat in causa filiationis: & argumento text. in *cap. Veniens*, et 2. de *Testibus*, ubi probationes factæ in judicio summario non plene præjudicant in plenario: si verò judex cognovit principaliter de possessione ad hunc finem, ut determinaret quis possideret remedio proprio possessorio; tunc sententia ejus erit definitiva, & plenum faciet præjudicium, argumento text. in *dict. leg. Ordinarii cum similib.* licet ipse eas non alleget: & argumento text. quem ipse reputat singularem, in *cap. 1. §. Si tres de pace tenenda*, in *usibus Feud.* & isto casu dicit ipse, quòd potest intelligi text. in *dict. §. Si quis ex servitute*, & istam conclusionem etiam tenet Paris de *Puteo in tract. Syndica.* in parte *judex fol. 176.* Præterea pro hac sententia considero text. singularem in *leg. penult. ff. de Aqua. quotid. & asiva*, ubi dicitur, quòd quando lis vertitur super servitute, ille qui est in quasi possessione ejus debet defendi, & sibi caveri de non impediendo durante lite donec finiatur: & ad hoc notat Gloss. ibi Bartol. Alber. Rainer. Angel. & communiter DD. & per illum textum ita tenet Gloss. notabiliter in *leg. 1. §. Hoc interdicto*, in *glos. 1. magna in medio*, versic. *Tamen dic.* ff. de *Itinere actuque pri.* & ibi Bartol. 2. column. num. 2. Angel. ibi, 2. column. num. 2. Paul. in *leg. Sicuti*. §. *Sed si quæretur*. ff. *Si servicus vend.* 2. col. in *fin. num. 9.* Cæpola in *tract. Servit.* in *cap. de Servit. itineris* 11. column. num. 35. Item etiam pro ista parte facit text. in *cap. 1. & 2. Ut lite pend.* text. in *cap. Cum Ecclesia Sutrina*, versic. *Clericos, de caupo. & pro.* text. in *cap. Cum per sona*. §. *Quòd si tales de Privil.* lib. 6. ubi expressè probatur, quòd quando quis est in pos-

sessione rei, jurisdictionis, census, vel alterius juris debet in ea defendi, & nullo modo inquietari durante lite super proprietate: & ibi tenent & notant DD. & per illa jura istam doctrinam ponit Innocent. & communiter DD. in *cap. Per venit in princip. de censibus*. Ergo eadem ratione idem dicamus in nostro casu, quando uterque ageret remedio possessorio, quòd durante lite defendatur in ea ille, qui interim melius probaverit. Item & quartò pro ista sententia & practica facit text. singularis in *cap. Cum venisset, de Institutionib.* secundum lecturam Innocent. quam ibi ponit in 1. column. in *med.* secundum quam ibi probatur, quòd licet sit actum tantum petitorio, nihilominus si in processu negotii constat judici reum esse in possessione, potest judex ex officio suo pronuntiare illum in ea esse tuendum usque ad finem causæ, ex eo quia omnia, quæ emergunt & accidunt post litem contestatam, pertinent ad officium judicis: & ad hoc illum textum summè notat & commendat ibi Abb. *penultim. column. versicul. 2. lectur. (s)*

Pro cujus perfecta intelligentia & declaratione dico & præsuppono, quòd possidenti dantur interdicta & remedia possessoria; & iste est principalis effectus possessionis: Et magistraliter & resolutivè dico, quòd tria sunt genera interdictorum. Nam quoddam est interdictum adipiscendæ possessionis, quoddam retinendæ, quoddam verò recuperandæ: text. est, qui istam doctrinam & theoreticam ponit, in *leg. 2. §. Hac autem interdicta*. ff. de *Interdictis*, cujus verba sunt: *Hæc autem interdicta quæ ad rem familiarem spectant, aut adipiscenda sunt possessionis, aut recuperandæ, aut retinendæ:* & ibi notat Alberic. Angel. & DD. ad idem est text. in §. *Sequens divisio in princip. Instit. de interdict.* & ibi notant DD. & per ista jura istam doctrinam theoreticam ponit Azor. in *Summa, Cod. de Interdict.* 1. column. n. 7. Specul. in

(s) Hujus autem praxis autor fuit Jacob. Butr. in *leg. Incerti*, Cod. de *Interdict.* quem sequuntur Bald. in *leg. Ordinarii*, num. 9. Cod. de *Rei vendicat.* & in *leg. fin. num. 10.* Cod. de *Edict. divi Adrian. tol.* Castrens. *Consilio* 3. lib. 2. & plures alii relati à Covarrub. *Practic. Quæst. cap. 17. à num. 1.* Menoch. de *Recup. posses. in praludiis num. 24. & sequentib.* Et de *retinenda rem. ult. ex num. 1.* Sarmient. lib. 2. *Selectarum cap. 13. num. 9.* & hoc judicium alii *præparatorium judicii possessoris principalis*, alii *summarissimum possessorium* appellant, Galli *recedentiam, vel casum novitatis*. Hispan. *interim, & entretanto*, ut ex variis observant Menoch. d. *rem ult. retinenda ex n. 3.* Covarrub. ubi supra. Veteres autem hoc judicium *vindiciarum* appellant, ut ex Cicer. *Asconio Pediano* observant Budæus in *leg. 2. de Origine juris*, Alexand. ab Alexand. lib. 6. *Genialium dierum cap. 10.* Alciat. lib. 1. *Pareygon. cap. 9. & lib. 6. cap. 24.* Othoman. in §. *Appellamus inf. de interdictis*. Rebard. ad *leges primas Tabularum*, cap. 12. & plures quos refert & sequitur Menoch. de *Recuper. in praludiis num. 31. & de retinenda remed. 3. num. 8. & remed. ult. num. 10.* ex quibus venit intelligendus text. in *leg. 2. §. Cum placuisset*, ibi: *Vindicias filia sue, à se abdicasse*. ff. de *Origine juris*.

in tit. de Caus. pos. & prop. in princip. num. 1. Bald. in leg. Una, Cod. Uti possid. idem Bald. in leg. Certi, Cod. de Interdict. 8. column. num. 26. & ibi Gloss. ordinaria in verb. Comperentibus. Cin. in leg. Ordinarii, in col. num. 2. Cod. de Rei vend. & ibi Salyc. 1. column. num. 1. Glos. notabilis & ordinaria in cap. Pastoralis, in gloss. magna in princip. de causa pos. & prop. & ibi Abb. 2. column. num. 12. Anton. 3. col. n. 17. Cardin. 2. column. num. 3. & communiter DD. Alexand. in leg. Naturaliter. §. Nihil commune, in princip. num. 2. ff. de Acquir. posses. & non reperitur alia genera interdictorum nisi ista, secundum Bald. in dict. leg. Ordinarii, 2. col. n. 3. (t)

Interdictum igitur adipiscenda competit heredi de jure prætorio vel civili pro consequenda & adipiscenda possessione rerum hæreditariarum postquam jam adivit hæreditatem: nam, cum in eo non sit translata possessio post mortem defuncti, licet adita sit hæreditas, ut in leg. Cum heredes. ff. de Acquir. posses. & supra dictum est; necessariò datur ei hoc interdictum pro possessione consequenda; & istud vocatur: *Quorum bonorum*: text. est in leg. 1. & per totum. ff. Quorum bonorum, text. in leg. 1. & per totum, Cod. eodem tit. text. in §. Sequens, versicul. Adipiscenda, Inst. de interdictis. Et habet locum hoc interdictum tam ex testamento quam ab intestato: text. est expresus in leg. 1. Cod. Quorum bon. text. in leg. 2. & fin. eod. tit. & aperte probant verba generalia text. in dict. leg. 1. ff. eod. in princip. Et in specie istam conclusionem & declarationem ponit Azor. in Summa, Cod. de Interdictis, idem Azor. in Rubr. Quorum bonorum, in princip. Specul. in tit. de Testamen-

(t) Interdictum adipiscenda competit pro adipiscenda possessione, quæ antea non fuerat adeptæ: text. in leg. 2. §. Adipiscenda, de Interdict. Inst. eod. Quod triplex est: *Quorum bonorum*, *quorum legatorum*, & *Salvianum*, de quibus latè agit Menoch. de Adipiscend. remed. 2. & 3. Sunt & alia tria adipiscendæ possessionis remedia civilia, primum, ex leg. ultim. Cod. de Edict. D. Adrian. toll. sequens ex leg. 3. Cod. de Pignor. ultimum, ex officio judicis, de quibus Menoch. ubi supra remedio 4. 5. & 6. Hanc autem interdictorum divisionem diminutam esse, quartumque interdictum possessorium, scilicet *conservandi* reperiri contendunt Bald. in cap. 1. §. fin. de Prohibita feud. alien. per Federicum, Rip. in §. Nihil commune. num. 2. de Acquir. posses. Bolognet. 1. part. num. 48. quod interdictum competere asserunt, ubi filio impuberi, cui quæstio status hæreditatis movetur ex beneficio Carboniani edicti, differtur quæstio in tempus pubertatis, mittiturque in possessionem, vel si possideat, tuetur & conservatur, text. in leg. 3. §. Missum de Carbon. edict. & in leg. 1. Cod. eod. verum hæc sententia vera non est, meritòque reprehenditur à Romano & Alexand. in dict. leg. 1. à Fabio in §. Nihil commune. num. 4. Socin. Jun. num. 10. Bereng. Num. 1. part. num. 176. in Prælu. num. 13. Menoch. de Adipiscend. in prælu. num. 14. Baldi opinionem probat dicta lex 3. §. Missum, nam, rejecta interpretatione Jas. ibidem, quam sequitur Socin. in dict. §. Nihil commune, & sibi ascribunt noviores, & testatur Corras. dict. num. 13. in fin. existimantes, illud interdictum extraordinarium esse, & ideo in divisione Justiniani & Ulpiani nullam ejus fieri mentionem; respondendum est, interdictum *retinendi* includi, ut rectè advertunt Romanus Alexand. quos sequitur Menoch. ubi supra.

is. §. Nunc dicendum, in princip. ubi omnino vide Rosfred. in libellis suis in 2. part. in Rubric. de interdicto: *Quorum bonor. in princip.* & aperte vult Glos. ordinaria in leg. 1. Cod. de Edict. div. Adrian. toll. super verb. legitimo, versic. Item quero, & ibi Cin. 2. column. 3. oppos. Bartol. ibi, 3. column. num. 5. Albi ibi, antep. column. in fin. versicul. Item queritur, & melius quam alius ibi Paul. 6. column. num. 14. & ibi Salyc. Jas. ibi, antepenult. column. num. 28. Corn. ibi, penult. column. in princip. tenet Salyc. notabiliter in leg. 2. Cod. Quorum bonorum fin. quæst. Rip. in Rubr. ff. Quorum bonorum 2. column. in fin. versic. 8. differentia. Plat. in Summa, versicul. Restitutoriam post princ. Inst. de interdictis. Ang. de Aret. in §. de Actio.

Item adde, quòd datur & competit hoc interdictum solùm heredi, vel successori universali in tota hæreditate, vel quota, ex tali causa vel titulo ex quo transit dominium sine traditione, ut est successio hæreditatis de jure civili vel prætorio, vel restitutio Trebelliani, vel petitio bonorum causa libertatum conservandarum: non autem competit particulari successor in re certa, puta, legatario, vel heredi instituto in re certa, alio dato cohærede universali, vel donatario causa mortis; nam licet in legatarium, vel donatarium causa mortis transeat dominium recta via post mortem defuncti; non tamen competit eis hoc interdictum pro adipiscenda possessione: text. qui sic debet intelligi in leg. 1. in fin. ff. Quorum bonorum, ibi: Et ad universitatem bonorum non ad singulas res pertinet, & ibi Glos. fin. in finali exposit. & ibi tenet & declarat Din. Alber. & Ang. & bene Franc. de Rip. ibi,

ibi, fin. column. & istam doctrinam, & theoreticam ponit Bald. notabiliter in leg. Incerti, Cod. de Inter. 6. column. num. 12. quem omnino vide: facit glos. expressa in leg. fin. Cod. de Edict. div. Adrian. toll. in verb. Ex parte, in princip. ubi dicit, quòd remedium possessorium adipiscenda illius legis comperit tantum heredi universali, non verò particulari, puta legatario, vel instituto in re certa, alio dato cohærede universali: argumento text. in leg. 1. §. Si ex fundo. ff. de Hæred. Inst. & in leg. Quoties, Cod. de Hæred. inst. & illam Gloss. sequuntur ibi Bartol. 5. column. num. 8. Bald. 9. col. n. 38. Paul. 3. column. num. 7. Corne. 2. column. n. 8. & notabiliter ibi Philipp. Dec. 6. column. n. 23. Jas. ibi, 3. column. in fin. Alexand. quam vide in leg. Quoties de hæred. inst. penult. col. n. 7. Ex qua regula & doctrina ego infero, quòd non competit hoc interdictum emptori totius patrimonii alicujus viventis, nec emptori hæreditatis defuncti; cum non sit successor universalis ex ultima voluntate, nec transeat dominium ipso jure solo titulo: Quod est verum ex persona propria; sed ex persona hæredis vendentis competet: argumento text. in leg. Emptor hæreditatis, Cod. de Hæred. vel. act. ven. & in leg. 2. ff. eod. cum simil.

Item datur & competit contra quemlibet possessorem universalem hæreditatis defuncti, vel contra quemlibet particularem possessorem vel detentatorem alicujus rei; ita probat text. in dict. leg. 1. ff. Quorum bonorum, in princip. ibi dum dicit: Quod de his bonis pro hærede aut pro possessore possides, &c. & per eum ita tenet Glos. ordinaria ibi, in gloss. fin. in princ. & ibi Angel. de Perus. & Rainer. & melius & expressius ibi Franc. de Rip. fin. column. in princip. & tenet Gloss. expressa in leg. 2. Cod. Quorum bonorum in gloss. final. & ibi Angel. de Perus. & Salyc. num. 4. Rosfre. in Libellis suis, in 2. part. in Rubr. de interdicto: *Quorum bonorum*, in gloss. fin. in princip. num. 8. Speculat. in tit. de Testament. §. 1. num. 4. Angel. de Aret. in §. Quadrupli. de Action. 1. 1. column. num. 34. Pro qua sententia & conclusione facit bonus text. in leg. Regulariter in fin. cum leg. sequent. ff. de Petit. hæred. ubi habetur, quòd petitio hæreditatis datur contra possidentem totam hæreditatem, vel aliquam rem particularem: & per eum ita tenet ibi Gloss. Bartol. Odofred. Bald. Angel. & communiter DD. text. Glos. & communis opinio in leg. 1. §. 1. ff. Si pars hæred. petat. & in specie per illum text. quòd idem sit in hoc interdicto, tenet Gloss. ordinaria in §. sequent. vers. Adipiscenda in gloss. 1. Inst. de interdictis, juncto ibi textu.

Anton. Gomez, ad Legem Tauri.

Item adde, quòd istud interdictum competit tantum pro rebus, quas possidebat defunctus tempore mortis, & relinquit in sua hæreditate: non verò pro his quas illo tempore non possidebat; sed tunc oporteret agere remedio petitorio, scilicet rei vindicatione, vel Publiciana: ita probat text. in leg. Item videndum, §. fin. junct. leg. sequent. quæ incipit: Et non tantum. ff. de Petit. hæred. ubi habetur, quòd petitio hæreditatis, quæ maximam habet similitudinem cum hoc interdicto, solùm competit pro illis rebus quas defunctus reliquit in suo patrimonio & hæreditate: & ad hoc notat ibi Bartol. & communis opinio: ergo ita dicamus in hoc interdicto: ita tenet Cin. in leg. 1. Cod. Quorum bonorum 1. column. in med. Jacob. Butr. ibi, 2. column. in medio. Salyc. in Rubr. eodem tit. 1. column. num. 3. Alber. in leg. 2. ff. eodem tit. Bartol. in leg. 1. fin. col. in fin. Cod. eodem, imò etiam datur pro rebus tantum detentis à defuncto, ut ibi dicit Bartol. & DD. ubi supra: Gloss. in §. Sum autem, versic. Restitutoria, in gloss. pro possessore, de interdictis, & in expresso istam sententiam & conclusionem tenet Pet. de Bellaper. in leg. 2. in princ. Cod. Quorum bonorum, ubi subtiliter dicit, quòd licet possessio defuncti non continuetur in hæredem; tamen illa possessio, quæ erat apud defunctum tempore mortis, operatur ut competat hoc interdictum heredi ut consequatur eam, & restituatur hæres ad illam rem & possessionem, quæ per tertium sit ablata vel occupata post mortem defuncti: & ista est intentio & notabilis declaratio Petri de Bellapert. & pro hoc ego considero textum, & iste est ejus sensus, in leg. 1. ff. Quorum bonorum, in versic. primo, ubi dicit, hoc interdictum restitutorium est: quasi velit dicere, quòd possessio rei, quæ erat penes defunctum si post ejus mortem reperitur penes alium, restituatur heredi ad idem facit text. in §. Summa autem, vers. Restitutoria, Inst. de interdictis, & iste est sensus Glos. ibi, in verb. Bonorum possessori, in finalibus verb. ubi dicit, quòd inspecta persona defuncti, istud interdictum est restitutorium; inspecta vero persona hæredis, est adipiscenda: & ibi tenet & sequitur Faber. num. 2. Ang. ibi 3. column. in med. & in expresso ita tenet & declarat uno verbo Jacob. Butrig. in leg. 1. Cod. Quorum bonorum, 2. column. in medio, & ista est intentio Paul. de Castr. in leg. 2. Cod. de Edict. divi Adrian. toll. 2. column. in fin. imò, quòd magis est, dico, quòd talis hæres debet probare illas res fuisse penes defunctum tempore mortis; cum sit causa & fundamentum suæ intentionis, sicut dicimus in remedio possessorio adipiscendæ, leg. fin. Codic. de Edict. divi Adrian. tollen. ut tenet

R r

ibi

ibi Bartol. penult. column. prope finem, & Dec. 12. column. num. 40. Confirmatur, quia semper quis tenetur probare illud quod est causa suae intentionis, ut in leg. In illa stipulatione si Calend. cum leg. sequent. & ibi notat Bartol. & DD. ff. de Verborum obligat. cum simil.

Item adde, quod ita demum istud interdictum competit contra possessorem vel detentorem rei hereditariae, quando eam possidet sine aliquo titulo: secus vero si habet vel possidet cum titulo; quia tunc non competit contra eum hoc interdictum: text. est, qui sic debet intelligi, in leg. 1. ff. Quorum bonor. ubi dicitur, quod datur hoc interdictum contra eum qui possidet pro haerede, vel possessore: & ibi tenet & notat solus Rip. 1. column. 2. notabil. text. in leg. 2. Cod. eodem titul. in fin. & ibi expressè tenet & notat Angel. de Perus. in fin. idem tenet Spec. in tit. de Testamentis. §. Nunc dicendam, 2. column. versic. Et nota quod hoc interdictum, ad idem est casus in §. sequent. versic. Adipiscenda, instit. de interdict. & ibi expressè, & notabiliter tenet Plat. 1. col. 1. not. tenet Ang. in §. Quadrupli. Instit. de action. 10. col. num. 34. & pro hac sententia & conclusione est Gloss. ordinaria quae non allegatur in leg. 1. versicul. Rediguntur. ff. Quorum legat. in verb. Ut perinde, in fin. quam vide. Ex quo infertur clarè, quod hoc casu necessariò recurrendum esset contra talem possessorem cum titulo, ad rei vindicationem.

Item adde, quod postquam semel haeres adeptus est possessionem rerum hereditatis, amplius sibi non competit hoc interdictum pro illis rebus; imò, si ageret, succumberet, tamquam proponens ineptam actionem: ita notat Petr. Bellaper. in leg. 2. Cod. Quorum bonor. in fin. Salyc. in Rubric. 2. column. eod. titul. numer. 5. & istam conclusionem tenet Gloss. ordinaria in cap. 1. de Confes. lib. 6. in gloss. 1. magna, in fin. & ibi communiter DD. pro quibus est casus expressus in leg. 2. §. Hac autem interdicta, in fin. ff. de Interdict. cujus verba sunt, adipiscende possessiones, sunt interdicta qua competunt his qui ante non sunt nacti possessionem, text. in §. Sequens prope fin. versic. Itaque eod. Inst. cujus verba sunt, itaque si quis adeptus possessionem amiserit eam, hoc interdictum ei inutile est, & expressè ibi tenet & notat Plat. 2. column. & 2. notabil. & idem est in partitione hereditatis, & in remedio leg. fin. Cod. de Edict. divi Adrian. toll. & in quolibet alio iudicio possessorio adipiscende possessionis, ut latius suo proprio loco dico.

129 Item adde, quod istud interdictum adipiscende Quorum bonorum, non datur nec competit contra debitores hereditarios personaliter obli-

gatos, ut virtute ejus haeres mittatur in possessionem debiti: text. est notabilis & subtilis in leg. 2. quae est final. ff. Quorum bonor. cujus verba sunt, interdicto quorum bonorum debitores hereditarii non tenentur, sed tantum corporum possessores, & ibi notat Gloss. ordinaria, & communiter DD. & ratio illius textus est, quia omne remedium seu iudicium possessorium causatur & producit immediate à sola possessione, tamquam à primordiali causa & fomento; non vero ab alia causa vel titulo, ut dixi: sed ipsum debitum personale, actio, vel obligatio qua tenetur debitor, non possidetur à creditore, sed tantum persona ejus est sibi obligata: text. est in leg. Obligationum substantia, in princip. ff. de Action. & oblig. text. in leg. Actionum genera, versic. Personam, eod. titul. cum similib. ergo, cum possessio in isto casu non fuit penes defunctum, merito non competit haeredi hoc interdictum: & in effectu istam rationem ponit Alber. licet sic non declaret, in dict. leg. 2. Quorum bonorum, & est ratio vera & concludens. Nec huic conclusioni & rationi obstat illa Gloss. singularis communiter aprobata in leg. Regulariter. ff. de Petit. hered. in gloss. fin. ubi dicit, quod creditor possidet saltem improprie jus quod habet in debito vel obligatione personali, & similiter debitor possidet illud passivè impropriissime: quam Gloss. ad hoc reputat ibi singularem in jure Angel. de Perus. in princip. num. 2. & sequuntur alii DD. & illam Gloss. dicit singularem Roman. in leg. 1. ff. de Acquirend. posses. fin. col. in fin. illam etiam Gloss. commendat Alexand. in leg. 3. eodem titul. 2. col. n. 2. Vincent. ibi, 1. column. in princip. Jas. ibi, 2. column. in princip. pro qua Gloss. & conclusione facit text. in leg. Etiam. §. fin. cujus verba sunt, item à debitore hereditario quasi à juris possessore, &c. ff. de Petit. hered. & ibi Gloss. expressa text. in leg. Quod si in diem. §. Julianus, versic. Idem Julianus, ibi: Et veluti juris possessor est, eodem tit. Quia respondeo notabiliter, quod illa possessio est nimis impropria, vel impropriissima; unde non producit aliquod remedium possessorium: ita in specie reperio quod respondet Cin. in leg. Si certis annis, Cod. de Pactis, penult. column. in fin. ita etiam tenet & respondet Bald. in dict. leg. Regulariter, 2. lect. de Petit. hered. Ang. de Aret. in §. 1. Instit. de interdict. 2. col. in medio.

Advertendum tamen pro declaratione huius interdicti quorum bonorum, & materiae: Quia videtur quod nullo modo sit necessarium istud remedium pro adipiscenda possessione, cum possit licite & iuste haeres apprehendere possessionem rerum hereditatis propria auctoritate, tamquam verus dominus, ut latè & notabiliter conclu-

clusi supra ista lege: quia ad hoc respondeo, quod ita demum haeres potest apprehendere possessionem propria auctoritate, si sunt bona vacantia, & non sunt occupata vel possessa ab aliquo tertio, ut ibi dixi; tunc enim fateor quod non est necessarium istud remedium: si verò bona quae testator relinquit in sua hereditate tempore suae mortis, nunc reperiuntur occupata vel possessa ab aliquo tertio; tunc proprie competit & est necessarium istud remedium quorum bonorum contra illum, pro adipiscenda possessione, quando non possideret cum titulo iusto, ut supra dictum est: & in hoc consistit virtus & necessaria intelligentia huius articuli: Imò quod magis est, numquam istud interdictum posset competere pro adipiscenda possessione bonorum vacantium, sed tantum eo casu quo ab aliquo sint occupata: nam interdictum semper requirit agentem & reum, cum dicatur inter duos, ut in §. Summa autem, in finalib. verb. Instit. de Interdictis, ibi: Sed tamen obtruncit omnia interdicta appellari, quia inter duos dicuntur: & in specie ita tenet & declarat solus Rip. in Rubr. ff. Quorum bonorum, 2. column. vers. 5. differentia.

Item adde, quod agenti interdicto adipiscende bene obstat exceptio domini, quando incontinenti venit probanda: Quod tamen intellige, nisi possessorium adipiscenda concederetur actori in penam rei conventi; quia tunc non admitteretur talis exceptio, sed statim mittendus est actor in possessionem: ista est Glossa singularis in jure in leg. fin. ff. de Rei vind. in gloss. fin. in fine, juncto text. ubi, quando reus propter mendacium privatur possessione, & debet tradi actori, non potest opponere exceptionem domini, etiam si incontinenti velit probare: & ad hoc illam Glossam notat & commendat ibi Bartol. Angel. de Perus. & communiter DD.

130 Item etiam dico, quod eo casu quo legatarius accepit & occupavit rem legatam propria auctoritate post mortem defuncti, competit haeredi interdictum adipiscenda, quod vocatur Quorum legatorum, pro adipiscenda & consequenda possessione rei, vel rerum, quas occupavit legatarius: text. est in leg. 1. in princip. ff. Quorum legatorum, ibi: Ut quod quisque legatorum, nomine non ex voluntate haeredit occupaverit, id restituat haeredi, & per totum illum titulum: & ad hoc notat ibi Bartol. Alberic. Angel. & DD. text. in leg. unic. Cod. eodem titul. & ibi Bartol. Cin. Alberic. Angel. Bald. Salyc. & communiter DD. & ita tenet & declarat ista jura Azor. in Summa, Cod. eodem. Rofre. in Libellis suis in 2. part. in Rubric. de interdicto quorum legatorum. Spec. in titul. de Testamentis. §. Nunc dicendum, Anton. Gomez, ad Legem Tauri,

3. column. versicul. Verum quia frequenter. Ex quo patet, quod isto casu datur remedium & interdictum adipiscenda contra titulo possidentem.

Adde tamen, quod istud interdictum solum 131 habet locum & competit, quando haeres petit restitutionem rei legatæ apprehensæ per legatarium, quia imminet ratio legis Falcidiae, & valet uti retentione pro ea: aliter verò non competit, sed iuste legatarius retinebit: ita probat aperte text. in leg. unic. Cod. Quorum legatorum in princip. ibi: Per quarta retentionem, &c. & in fin. ibi: Ut ita retentione competenti utaris, & ibi expressè tenet Gloss. final. in princ. & ibi Petr. de Bellaper. Cin. qui notabiliter loquitur. Alb. Bald. Salycet. & communiter DD. tenet etiam Azor. in Sum. illius titul. in fin. num. 5. Rofred. in Libellis suis 2. part. in dict. Rubric. de interdicto quorum legatorum. 1. col. vers. Septimum est, licet littera ejus sit corrupta: tenet etiam Glossa ordinaria, in leg. 1. versic. Rediguntur, in verb. Perinde, in fin. ff. Quorum legat. & ibi tenet Bartol. in fin. num. 4. & ibi notat Angel. de Perus. in fin. & ista est magis communis opinio secundum Rip. ibi, 4. column. num. 24. licet Odofr. & Oldrad. quos ipse refert & sequitur, tenuerunt contrarium. Ex quo infertur in practica, quod oportet quod haeres tempore quo agit hoc interdicto fundet intentionem suam in hoc, scil. quod imminet ratio leg. Falcid. Unde si liquidè constaret quod non imminet, vel in casibus in quibus cessat Falcidia, non poterit agere hoc interdicto.

Unquam tamen est, quod in neutro casu legatarius amisit jus suum, licet acceperit rem legatam propria auctoritate; imò poterit consequi ab haerede: ita casus expressus in dict. leg. 1. ff. Quorum legat. versic. Rediguntur, ibi: Ut perinde legatarii possint eum convenire. Sed adverte- 132 tendum est, quod contra hoc est casus expressus & terribilis in leg. Non est dubium, Cod. de Legat. ubi probatur, quod imò amittit legatarius jus suum, si occupat rem legatam propria auctoritate: cujus verba sunt: Non est dubium denegari actionem legatorum ei proportionem competenti his pro rebus quas subtraxisse eum de hereditate apparuerit, & ad hoc illum textum reputat singularem in jure Paul. de Castr. in princ. & commendant ceteri DD. Sed pro concordia & declaratione dico, quod si legatarius accepit rem legatam propria auctoritate ante aditam hereditatem per haereditatem, vel post aditam, ante tamen apprehensam possessionem, non amittit legatarius jus suum, licet teneatur interdicto quorum legatorum illam restituere haeredi, quando imminet Falcidia, ut supra dictum est.